



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

De juramento ficto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

Ex hac certa doctrina deciduntur plures casus in praxi contingentes. Primo, rogatus de delicto, quod saltem sub opinione probabili non teneris manifestare, vel ex eo quod non iuridice rogaris, vel ex eo quod tibi grave nocumentum ex manifestatione proveniret, negare poteris, fecisse, subintelligendo in carcere, vel ad dicendum. Sic Sanch. Clav. Reg. Navar. Bonac.

Secundo, &c. Haftenus Castropal.

JOAN. SANCH. sic. Reus inquit disp. 46. nu. 17.) cuius delictum est semiprobatum in causa sanguinis, ob quod morte esset pleiendus, aut ad trirèmes, vel exilium, aut honorum amissionem esset damnandus, veritatem delicti iudici interroganti aperire non teneatur, eo quod nullus ad sui damnationem jurare constringitur; est namque ius conferendi vitam adeo strictum, quod nulla lege positiva abrogari possit; & tunc si Reus constringeretur veritatem manifestare, constringeretur ius damnationis esse totalem auctoritatem: nam quod testis adversus illum testimonium tulerit, nihil conducit ad condemnationem, cum sine delinquentis confessione damnari non possit.

Paulo post. Quod possit equivocatione utendo, veritatem celare, docent Navar. Less. S. A. Valer. Sylvest. &c. Docet item hanc opinionem Villalob. Octavianus Spatarius, tanquam certam, docet. Item Rodriguez tanquam certam, & hanc pro viribus defendit. Item ut probabilem docet Pignatarius, Peyrinus, & Layman, Salcedo, ut sibi certam. Aragon, ut probabilem, & Reginal. Scot. Filic. Malderus, & sustinent aliqui viri docti, quos consulti. Quo quidem sententia non solum mihi probabile, sed certa videtur.

Quod vero sit quoque, in praedicto casu Deum in testem adducere, mihi quoque certum; nam eadem causa, quae excusit ad excusandum mendacium, intercedit pariter ad excusandum juramentum iuxta dicenda (disp. 46. nu. 17.) ubi Auctores referemus.

10. De hac autem disp. 46. nu. 17. idem sic repetit.

Nam eadem causa, quae adest ad excusandum mendacium, equivocatione retenta, sufficit etiam ad excusationem juramenti, ut docet angel Sylvest. Navar. Azor. Val. Salan. Sanchez, Toler. Manul. Philiar. Suar. Less. Mar. Delrio, alios adducens S. A. &c.

11. Unde quia igitur hunc purum putum errorem haulisti, Baroni, quod scilicet hoc sit Tamburini inventum, & à Doctoribus longissime distans? Præterea sit tam multi (ut modo legisti) Castropalaus, Jo. Sanchius, Spatarius, Rodriguez, Salcedo non solum id, ut probabile sustinent, sed ut certum, quæ ratione tibi admirabile Paradoxon sit? Legite si est otium lectores ingenui, & obstupescite ad tam injustas injurias, quas in hominem innocentem hic jactat Baronius; Hanc unam ex remissioribus audire, nemolestum sit.

BARON. ibid. fol. 91. Hic (Tamburinus) etiam multis Paradoxis à se primum inventis, quasi Parafangis, à reliquis Doctoribus etiam sui instituti, longissime distat; nec dubito, quin velit videri, quasi in laxandis conscientibus, gloriam, & singularitatem affectasse. Hujus generis est, &c.

Nunc monet tempus, ut agamus de juramento ficto, haftenus enim locuti sumus de aquisoco.

* *

CAPVT XXII.

De Juramento ficto.

1. In hoc eodem loco transit Baronius ad juramentum fictum, doctrinamque Tamburini de eo, vocat alteram Paradoxam partem, quam certe ego vocarem partem tertiam; sic autem habet.

BARON. ibid. fol. 93. Altera vero Paradoxa pars fit contra consensum omnium Theologorum. Nam Soto lib. 8. de Just. q. 1. a. 7. ita habet, Emergit dubium, utrum juramentum sit sine intentione jurandi, sit peccatum mortale; quoniam de veniali non est dubium, quandoquidem qui dicit se jurare, & non jurat, mentitur, ergo lis est extra controversiam posita inter vetustiores Theologos, Juramenta sine jurandi animo, etiam ex causa, illicitè proferri.

3. Cum tamen Tamburinus, certum velit esse, ab omni culpa excusari hujusmodi juramenta. Sed longerecedit non solum ab antiquorum Doctorum, & extraneorum mente, sed etiam ipsius Suarii, qui hujusmodi juramenta accusat & gravis peccati mortalis ex genere suo. Neque enim potest nomen Dei fictè assumi ad jurandum, nisi vane assumatur; id est, ad decipiendum potius, quam ad confirmandam veritatem. Quid autem vanum magis, quam ipsa fallacia, & deceptio, qua non solum irrogatur Dei nomini injuria, sed etiam resolvitur vis juramenti, & sanctitas violatur; cum nequeat eius contemptus efficacius induci, quam si tibi persuadeas, posse adhiberi juramentum, nulla intentione jurandi. Id ipsum confirmari posset variis exemplis ex Suar. Cajetan. & aliis. Si liceat ficto animo jurare ex metu, vel alia quacunque de causa, quidni proferre blasphemias? ut arguit Suarez. Quidni Idola colere in speciem, animo ab Idololatria alienissimo? ut ex Cajetano urget Sotus, quod tamen fictè Idolatria genus imputatur Marcellino Pontifici in grave crimen, &c. Haftenus Ille.

4. In primis verbis nimis indistincte affectis, juramentum fictum ex causa esse peccatum. Præterea dum id confirmas ex consensu omnium Theologorum, cur deinde id probas unius Soti testimonio? sed mox videbimus de hujusmodi omnium consensu.

5. Prius enim advertendum est, hic tres debere quaestiones diligenter distingui. Prima est, an Juramentum sine animo jurandi, hoc est sine animo vocandi Deum, sit vere, & essentialiter juramentum, & nullus ex mediocribus Theologis affirmabit, esse juramentum; deest enim illi essentia juramenti, quæ est Dei invocatio; Quæritur autem an ita externe jurare cum causa, sit licitum, præsciendò ab alio inconvenienti, sed sit culpa ex ipsa ratione juramenti; nam si addas, dictum aliquod inconveiens, erit peccatum ex inconvenienti illo. Et in hac prima quaestione Tamburini sententia est, id, quando adest causa, & nullum adest aliud inconveniens, non esse illicitum.

6. Secunda quaestio est, an uti hoc juramento, in quo solum oretenus invocatur Deus, ad aliquem decipiendum, sit culpa, etiam si fiat cum causa. Et in hac secunda quaestione, Tamburini doctrina est, esse dupliciter peccatum. Primo, esse peccatum contra justitiam, quo Proximus decipitur. Secundo, esse peccatum contra Religionem, quia jurans utitur Dei sacro nomine, tanquam medio ad firmandum

D d d

pecca-

peccatum; id quod nemo dubitat, esse contemptum Dei; & de hoc loquitur Suarez à Baronio citatus illis verbis, quæ ipse modo num. 3. me. tulit. Neque enim potest nomen Dei ficto assumi ad jurandum, nisi vane assumatur, id est, ad decipiendum: & poterat citari etiam Sanchez lib. 3. in Decalog. cap. 6. num. 18. & 22.

7. Tertia quæstio est; an jurare sine animo jurandi, ut item sine animo utendi juramento ad decipiendum aliquem, sed solum mentiendo, dum quis abstrahendo à quocumque alio damno proximi dicit se jurare velles; cum tamen non invocet interne Deum, sed solum externe, sit licitum: Et in hac tertia quæstione Tamburini sententia est, non esse licitum etiam ex causa, quia intervenit mendacium, atque adeo esse peccatum saltem veniale, nemini posse esse dubium. Porro hoc dumtaxat loc. cit. docet Sotus: dicit enim Quandoquidem qui dicit: se jurare, & non jurat, mentitur, ergo hoc est extra controversiam, &c. Hoc enim (ergo) est nota consequentia, quæ deducitur ab Antecedente. At in Antecedente locutio fuit hæc Qui dicit se jurare, & non jurat, mentitur. Quare hæc erit doctrina extra litem, quam omnes ultro fateantur, nempe etiam ex causa illicita profertur; & quidem, in præciso casu de quo loquimur, venialiter.

8. Jam vero quia has tres Quæstiones Baronius non advertebat, ideo tam immerito insurgit contra Tamburinum. Quæstio enim hoc in loco non est, neque Secunda, neque Tertia, sed Prima: siquidem locutio sit de juramento ex vi juramenti, non vero si addantur alia prædicta inconvenientia. Verum ad pauca respicientes facile pronuntiant.

9. Quod autem ex principis Tamburini juramentum quodcumque si assumatur, tanquam medium ad decipiendum, sit contra Religionem, nec solum contra justitiam, sic ipse docet lib. 3. in Decalog. cap. 1. §. 4. num. 5. sine.

TAMB. num. 5. Sumere Dei testimonium tanquam medium ad inique agendum presumptio est, & irreverentia contra Deum.

Et iterum alio in loco, nempe eodem lib. 3. c. 3. §. 3. num. 9. sic habet.

10. TAMB. num. 9. Petes, quodnam peccatum est promittere cum juramento rem non licitam? Respondeo cum Sanchez lib. 3. in Decalog. cap. 9. num. 14. esse mortale Sacrilegium, si Res est illicita mortaliter; quia uteris divino testimonio ad rem iniquam faciendam, quæ est summa Dei Irreverentia; de qua diximus supra cap. 1. §. 4. num. 5. Unde vides in confessione esse explicandum, an juraveris peccatum mortale, V. G. homicidium cum intentione illud exequendi, vel cum intentione non exequendi: nam prius habet duas specie malitias, nempe homicidium, & irreverentia; posterius solus perjurii.

Quod si res sit illicita venialiter, vel sit contra consilia, ut cum veritate jures, te dicturum mendacium officiosum, vel non daturum elemosynam, non ingressurum Religionem, non accepturum officium Prætoris, &c. puto cum Pagan-dez lib. 2. in præc. Decalog. secundum cap. 14. num. 1. esse veniale, quia non videtur gravis injuria Dei, uti divino testimonio ad rem leviter illicitam, ut ibidem diximus. Hæc ibid.

11. Vides in juramento assumpto ad firmandum peccatum, etiam si sit cum veritate, esse peccatum contra Dei reverentiam, nec solum contra justitiam? ut si quis V. G. cum veritate juraret, se cras occisurum suum inimicum, &c. id quod non est ex ratione juramenti, quia hoc verum esse supponitur; sed ex eo, quod invocatur Deus ad finem malum, seu ad fir-

mandum peccatum sic jurantis. Ex hac doctrina colligis, Tamburinum esse in existerentia, utalio invocatio quæcumque, live cum animo non jurandi, live cum animo non jurandi, in casu illicito, qui invocatio Dei sit solum externa, semper esse contra Dei reverentiam, si dirigatur ad peccatum firmandum, vel ad decipiendum, & c. quia tota malitia hæc sumitur à pravo hoc fine, quo scilicet deus invocatur Deus, seu ipsius sanctum Nomen, dum adhuc est in medium ad peccatum firmandum; id quod cum sit intrinsece malum, non potest ex causa casu exculari.

12. Ne igitur, Baroni, contra Tamburinum preteritas Suarii auctoritatem, nec pariter ducam te adorante Dæmonem, vel fidem negantem solum exterius. Ultro enim ipse fateatur, sicut hæc, quæ solum externa, sunt in Dei contemptum, in eis juramentum quando fit ad decipiendum, vel quando jungitur aliud inconvenientius dictum est. Sed contra Quæstio, bone Vir, hujusmodi non est, sed in primo loco dicta. An juramentum sine animo jurandi, hoc est; An juramentum fictum ex vi solius actus jurandi, præcisando à prædictis adjunctis illicitum, quando fit ex causa? Et non esse illicitum, docet Tamburinus; quia illud non est juramentum essentialiter. Cum jurare sine intentione jurandi, sit licite, ac orare sine intentione orandi, quod, non solum non est, ne materialiter quidem malum, sed aliquando est commendabile, vel ut quando Artificer, dum labori intendit, canit Pater, V. G. & Ave.

Agrefique sumis solatur voce laborum.

Et ex ista parvella causa facit, ut nulla sit determinatio, quæ aliàs esset in illo actu exteriori, quod conformatur cum animo interiore. Ideo enim illud ordinatio fuisset, quia aliquem deciperem, ne quia mendacium confirmarem; at hæc, aut quod simile in hac quæstione primo loco explicata supponimus, non adesse. Quæ innox afferam ex Sanchez, illi &c. confirmabunt.

13. Nunc oro lectorem, ut, claritatis, & magis Confirmationis ergo, sinat me rescribere Tamburini doctrinam hæc de re breviter allatam, & hinc Castrop & Sanchez explicatam.

TAMB. Supra cap. 2. mo num. 3. Certum est primo, jurare sine animo implendi esse mortale, ita est hoc & communiter. Certum est secundo, jurare sine animo jurandi, si res est levis sit, si res gravis, non esse licitum, nec licitum esse cum causa.

Hoc dictum Tamburini si bene à Baronio reprehendendum erat, oportebat distinguere, quando quis sine animo jurandi jurat verum, quandoque falsum. Nam hac distinctione præ oculis habita, quæ Paradoxum est, quod dicitur, à Tamburino, neque singulare. Cognoscimus id à Castrop & Sanchez.

14. CASTROP. Dico Secundo (ait Castrop Tom. 1. d. 1. p. 8. num. 4.) Si juras sine animo jurandi, si jurandum est; vel juras verum, vel falsum. Si juras falsum, tam in judicio, quam extra, est peccatum mortale. Si juras verum, probabile est, esse solum veniale extra judicium; in judicio, & contra dictum, mortale. Primum patet conclusionis, nempe jurare falsum sine animo jurandi, esse mortale, defendunt Cajet. Soc. Covarr. Petr. Lacin. I. eff. Suar. Bonac. Sanchez. Rationem reddunt, quia juramentum externum, quod est Divina Majestati cultus, & obsequium ad falsitatem confirmandam. Unde hoc gravissimum est peccatum grave, quia applicatur materia malitia

affio solum debita Deo; similiter erit gravis irreverentia contra Religionem, jurare falsum verbis tantum abque intentione, quia externus cultus Deo per iuramentum debitus, materia indebita applicatur. Ceterum hac ratio solum videtur convincere in iuramento externo facto per Idola, vel Creaturam sistendo in ipsa.

Et quae sequuntur, ea enim non est necesse hic refectere, cum non faciant ad nos, ipse autem paulo post sic pergit dicere quae ad nos pertinent.

15. Ceterum retinenda est communis sententia, quia extra casum, quem dixi ex Lessio, nullum inveni Doctorem, etsi plures evolvi qui affirmaret, non esse peccatum mortale jurare falsum, etiam sine animo jurandi. Et ratio esse potest, quia videtur Deo gravis irreverentia fieri ex eo, quod tantum in apparentia, & nomine tenus in resem falsi invocatur. Nominis enim Dei summa reverentia debetur, &c.

Et infra

Secunda pars Conclusionis, nempe probabile esse, non esse mortale, si verum iures sine animo jurandi, tenet Lessio Sanch. Bonac. Ratio est, quia non videtur ex hoc iuramento fieri gravis injuria Deo, neque homini. Non Deo, quia esto simulatur adduci in resem, adducitur in resem Veritatis. Sicuti cum simulate oras eo tempore, quo non teneris precepto orandi, non obinde censeri, Deo facere gravem injuriam: neque etiam ex tali iuramento provenit gravis injuria, quia supponimus, graviter inde illum non ladi. Ex nullo ergo capite mortale peccatum esse potest, est tamen absque dubio peccatum veniale, & grave, quando nulla legitima, & honesta causa fieret, quia est quedam fictio vim iuramenti enervans. Hac Castrop.

17. Notas, haec ultima verba (quando nulla legitima, & honesta causa fieret) quasi dicat, secus si honesta, & legitima fieret causa, quae est doctrina Tamburini. Quare non est haec ab illo inventa, ut, Baroni, dicit. Loquitur enim Tamburinus, quando quis sine animo jurandi jurat illud, quod est verum: nam quando est falsum, quia tunc decipitur proximus, ut saepe diximus ex eodem, est illicitum, & in materia gravi est mortale contra Iustitiam. Praeterea, etiam in materia levi & in quacumque materia si adhibeatur tale fictum iuramentum ad finem peccaminosum, seu ut medium ad firmandum peccatum etiam veniale, est peccatum grave contra Religionem, ut supra vidimus.

18. Hinc fit, ut si Baroni invenisset, Tamburinum loqui de jurante falsum sine animo jurandi, recte dixisset id esse contra consensum omnium Doctorum: nam etiam est contra consensum ipsius Tamburini. Nunc vero cum ex principiis nostri Authoris modo dictis meo num. 9. & 10. non possit haec doctrina intelligi, nisi de casu, quo juratur res vera, nihil poterit contra ipsum afferri. Sed certe excusato Baronium in praesentia, quodem vere difficile solet esse, principia Authorum in suis quaque locis dispersa inquirere, ut deinde ex ipsorum mente quaestio decidatur.

Porro ne tibi, lector, sit molestum, praedicta etiam cognoscere à Thoma Sanchez.

TH. SANCH. At verius est (ait l. b. 3. in Decal. c. 6. num. 10.) quod sic distinguit Valentia. Si jurans (sine animo jurandi) dicit verum, tunc solum peccat venialiter, quando vult significare se habere jurandi animum, quia est mendacium, & non perniciosum, ut bene Doctores praecitati, secus si id significare nolit, sed quoddam aliud disparatum, ut mox dicemus, tunc enim Nulla Culpa est. Si autem jurat falsum, velitque illa externa iuramenti verba referre ad materiam falsam, confirmando illa in eo externo iuramento, est mortale, ut probat ratio num. 8. adducta, & con-

Pars II.

cordant omnes DD. num. praeced. relati, & citati num. 8.

Si autem interiori animo nolit illa ad materiam falsam referri, nec potest ob aliquas rei circumstantias rationabiliter ab aliis putari id velle, ut inde scandalizetur; sed tantum iure suo utens, usurpat ea verba, ad significandum aliquid aliud interius conceptum, quod verum sit, vel usurpat ea tantum materialiter, nil per illa confirmare volens, non peccat mortaliter, nec applicat iuramentum indebita materia. Immo ego credo, nec hunc venialiter peccare, quia nullum est mendacium, & cogit Causa Iusta uti ea aquivocatione, & constabit magis ex statim dicendis à num. 15. Atque idem fateatur Sotus num. praeced. allegatus, quando iniuste coactus usurparet ea verba materialiter: tunc enim non peccaret, ut, si ita responderet; Ego iuro? vel dico? Deus est mihi testis; secus (ait Sotus) si diceret. Dico, quia Deus est mihi testis, quia tunc, ait capi verba formaliter. Sed existimo, potius id pendere ex intentione dicentis, quippe posset hunc quoque dicendi modum capere solum materialiter, vel ad aliquid aliud significandum, ut proxime diximus ex Val. Haec Sanch.

20. Notas quantum faveat nobis tuus idem Sotus? Verum haec dicta sufficiant ad ostendendum, hanc non esse sententiam adeo novam, ut singulare inventum, vel Paradoxon appellari mereatur.

CAPVT XXIII.

Secundum Paradoxum imputatum
Tamburino.

Prima Pars hujus Paradoxi.

De Reo non respondente ad mentem Iudicis
non certo legitimi.

1. UT Secundum Paradoxum loco citato efformet, tria dicit Baroni. Primo rediens ad tenuissimam illam probabilitatem à se toties frustra decantatam, ex hac deduci ait, multa incommoda, posita illa alia Tamburini doctrina; quae affirmat posse Reum interrogatum à Iudice, non tamen omnino certus, an legitimus sit, ad eius Iudicis mentem non respondere. Secundo, impugnatur eundem dicentem, posse idem, etiam constante competentia legitima Iudicis interrogantis. Tertio, reprehendit eundem, quasi sibi contradicentem.

2. Incipiamus à Primo dicto, ut quae id bene intelligatur, ponamus in forma Syllogistica Baronii ratiocinationem l. c. §. 3. fol. 93.

BARON. Quando habeo tenuissimam probabilitatem, non pecco, operando secundum illam.

Sed ex quacumque incertitudine de incompetencia Iudicis habeo probabilitatem tenuissimam, quia semper, vel sepius me ad sunt aliqua fundamenta huiusmodi incertitudinis. Ergo habens quacumque incertitudinem, non pecco secundum illam, & consequenter possum sine peccato, ad mentem Iudicis non respondere.

3. Huic argumento sic facile respondetur ex germana doctrina Tamburini, sicuti responsum est supra in simili cap. 20. a num. meo. 3.

Quando habeo tenuissimam opinionem, non pecco, operando secundum illam. Distinguo Majorem. Si

D d d 2

hac